

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LXXXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Utrunq; tuum scriptum, cum debita gratiarum actione, tibi remitto.

Literas hæc clausuro mihi annunciat, D. Amonium urbem nostram ingressum, de quo vehementer lætor.

LXXXVII.

*Salutem a Domino nostro Jesu Christo, Reverende & clarissime Domine Compater.*

Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas tamen non domi sed in Misniâ accepi, in Goppido Aldenburg, quo cum Illustriss. profectus eram. Propter occupationes paucis respondebo, quod Apologiam integram unâ cum literis D. Zimmermanni acceperim. Quam succisvis horis perlegi, paucula murabo. Quod ad communem præceptorem, Philipp. Melanth. attinet, optatim toto pectore, cum vere posse excusari contra Calvinistas. Verum res ipsa contrarium loquitur. Manifestum enim est & negari haud potest, quod ad partes Calv. accesserit. Ideoq; illa omitenda erunt, quæ de ipso prolixè disputantur. Dedi etiam Fladingo legendam, à quo eam nondum recepi. Receptam denuò legam diligenter, & ad editionem præparabo. Scripsit & mihi D. Schopperus, sed nihil misit. Ac nolim ex illius & tuo scripto unum confici. Edat ipse sua separatim. Sanè si vidissem Schopperi Apol. antequam Francofurtum mitteretur, admonuissem eum pro mea tenuitate.

Ut in examine Neostad. defensionis progrediaris, te per Christum rogo. Labor tuus non erit inanis in DOMINO. Turbas à Majore datas Illustrissimus Saxoniz Elector Christianus autoritate sua sedavit, & conatus impiorum repressit, præter multorum expectationem. Scripsit ad Celsitud. ipsius Facultas Theol. Witeberg. & petiit submissè, gliscenti malo ut quàm citissimè occurreret, quod statim fecit, Facultati humaniter respondendo & defensionem pollicendo, molitiones verò Calvin. compescendo, ita ut nunc mediocri tranquillitate fruatur. Habeo hæc ex ore D. D. Matthæi Schmalcaldensis. Dominus porò Celsit. ipsius animum regat, & odio Calvinistarum impleat. De bellicis motibus per DEI gratiam apud nos silentium est. Parmensis quidem libenter aliquid attentaret, sed DEUS consilia hostium mirabiliter annihilat. Nostri ad omnem eventum sese ad defensionem præparant. De Matthia Austriaco eadem fama apud nos sparsa fuit, sed quantum intelligere potui, nondum pro certa habetur. Incidimus in tristia & periculosa tempora, Dominus nostri misereatur. Hæc ad tuas, mi Domine compater, breviter respondere volui. Quod reliquum est, te cum conjuge & liberis DEI Opt. Max. tutelæ commendo. 1. Aprilis, Aldenburgi in Misnia, Anno Christi 1587.

R. d. t.

Deditissimus

Timotheus Kirchnerus.

S s s s ;

Obiter

Obiter & hoc significandum est, Helmstadienses pergere, Edidit D. Hof. comment. in Psal. 22. in cuius præfat: acerbiss. Ubiquitas, ut vocat, perstringit, & petit ab Electore Sax. (cujus Cels. libellum inscripsit) Synodum, &c. Sparsit etiam adversus me virulentiss. chartas, quæ tamen nondum impressæ sunt. Expecto autem eventum Colloquii inter Wirtemberg. & Helmstad. de quo fama est. Si vixero, Dominus ostendet, quid faciendum sit.




LXXXIIX.

(Erasmo.)

S. D. Reverende &amp; clarissime vir, amice colende.

**A**nimo & corpore æger jam ferè semestri domo non egressus sum; nam pedes me gestare amplius recusant, nec tabellarium recta isthuc euntem interea habui. Apud nos ecclesia & schola DEI beneficio pacata est. Friderici II. Danie regis, 4. Aprilis defuncti, funus, pompa solenni. 5. Junii deducetur, ad quam princeps meus Ulricus Megapolitanus, regis socer, hodiè proficiscitur. Christianus III. rex electus, ex filia Ulrici, 1777. die 12. Aprilis natus, puer undecennis est, cui, ex senatu regni, adjuncti consilarii, gubernationem regni administrabunt. Inter domum Austriacam & Sigismundum Polonia Regem, exeunte Martio induciæ factæ sunt, quæ fortassis secururæ pacis solidæ initium erunt. De Gallia vicinæ bello, & Canonicis vestris, à te doceri cupio. Bene vale. Die 20. Maji, Anno 1583.

David Chytræus.



LXXXIX.

S. D. Reverende &amp; doctissime Vir.

**D**ulcissimè à Plutarcho *Ἐὶ φιλαδέλφιος* dictum esse meministi: *Εὶ καὶ τὸ φίλος, μέγιστον δὲ καὶ τὸ τῶν φίλων ἐστὶ τὸ φίλον.* Intercedit autem mihi cum utroque fratre tuo, Erasmo & Philippo, amicitia Thesæa; & reverendæ ac clarissimæ memoriæ pater tuus meo patri & mihi patronus & amicus fidissimus fuit. Quare te quoque mihi vera benevolentia conjunctum esse, eamque scribendi officio interdum declarare, opto; ad quod ut prior te invitem, breve hoc epistolion mitto. Quod si non ingratum fore intellexero, scribam & sæpius & prolixius. Nunc epistolæ brevitatem pagellis